



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 38. Quid addendum sit circa Beneficium duplex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

q. 37. & 39., ubi q. 40. notat beneficium Regulare unius Ordinis vel Monasterii non posse conferri Regulari diversi: quot verò vota requirantur, si Regularis eligatur vel postuletur ad dignitatem sæcularem, explicant *Castrop.* §. 2. & *Leur.* q. 59. & 60. Quamvis autem multi dixerint ad electionem Monachi pro beneficio sæculari curato non requiri dispensationem Episcopi, sed tantum licentiam proprii Superioris, nunc tamen ob jus novum dicendum est nec Monachum nec Canonicum regularem posse assumi, neque in hoc dispensare posse Episcopum, uti latè ex jure & AA. deducit *Leur.* à q. 46. Posse tamen beneficium sæculare validè conferri novitio, docent *Sanch. Garc. Castrop.* & alii: Qualis verò requiratur licentia Superiorum vel Conventus, ut Regularis dispensatus possit admittere tale beneficium sæculare, explicat *Leur.* q. 55. & seqq.

Q. 38. Quid addendum sit circa beneficium duplex. R. Seqq. 226

§. I. Beneficium duplex est, quod afficitur aliquâ qualitate juris, id est, vel præ eminentiâ, vel jurisdictione vel administratione Ecclesiæ; si sit cum præ eminentiâ & jurisdictione in foro externo circa Clericos, dicitur Dignitas; si cum præ eminentiâ & jurisdictione in foro tantum interno, dicitur Curatum; si cum præ eminentiâ sine jurisdictione, Personatus; si sine præ eminentiâ & jurisdictione habeat annexam administrationem aliquam, v. g. Cellerarii, dicitur Officium: Thesauraria in quibusdam Capitulis est dignitas vel personatus, in aliis tantum Officium. Videri potest *Leur.* p. 1. q. 32., ubi plura de divisione illa beneficiorum.

§. II. Beneficium duplex subdividitur in majus, 227
medium & minus: majus est quasi culmen beneficiorum & dignitatum, uti Papatus, Cardinalatus,
Prima-

Primatus, Patriarchatus, Archi-Episcopatus, Episcopatus; hæc tamen in Canonibus pœnalibus & aliis, quæ strictæ sunt interpretationis, non veniunt nomine beneficii, unde cum exemptio à lege sit strictè interpretanda, si detur dispensatio ad omnia beneficia, non debet extendi, nequidem ad Episcopatum, *Garc. p. 1. c. 6. n. 66.* aliique cum *Leur. q. 34.*, ubi pluribus exponit, quanam etiam præbendæ quandoque non veniant nomine beneficii. Beneficium duplex medium, est v. g. Decanatus, Abbatia, uti tenent aliqui apud *Lott. l. 1. q. 26. à n. 17.*, Item Prioratus Claustralis, si quis sub Abbate curam disciplinæ habeat; & Prioratus Conventualis, si quis non habeat Superiorem in eo Conventu; item Patronatus. Duplex minus dicitur, in quo exercetur jurisdictio tantum in foro interno, uti faciunt Parochi & Sacellani.

228 Q. 39. *Quid censendum sit, in dubio, an beneficium sit simplex an curatum.* R. Censeri debet simplex, quia tot sunt qualitates ad beneficium curatum requisitæ, ut meritò præsumi non debeant, nisi probentur, *Gutt. Hoi. Gonz. Diana p. 4. t. 3. R. 74. Nicol. t. 1. d. 6 §. 2.* Quomodo autem immutetur quandoque, vel unde deprehendi possit mutatio statûs beneficii, explicat *Leur. p. 1. q. 33. & 38.*, possuntque videri dicenda à n. 296.

229 Q. 40 *An præbendæ Canonessarum sint beneficia.* R. Colligetur ex dicendis, inter quæ plura addemus ad hunc statum pertinentia.

§. I. Status hic est antiquus, scilicet ab anno 817. uti referunt *Zyp. in Conf. Canon. l. 3. de Regul. consult. 17. & Neuss. Poly. d. 145. n. 4.*, ejusque mentionem faciunt *Bonif. VIII. Cap. Indemnitatibus*, de Elect. in 6., ubi statuit, ut earû Abbatissa sit annorum saltem 30. Item *Clemens V. in Clem. l. 3. t. 10. c. 2.*,
Atten